

neomystæ fuerit occultus. In his circumstantiis simul concurrentibus posset talis neomysta licite suum primum sacrum solemniter celebrare, ob rationabilissimam epikeyam, quod si Papa adesset, vel interrogaretur, an generalis lex statuta in sacris conciliis, sacrisque canonibus de non communicando, et celebrando, nisi jejune, vellet extendi ad hunc casum in dictis circumstantiis, responderet, nec se, nec suos antecessores id velle, aut voluisse, præsertim ad evitanda ingentia mala, incommoda, et scandala inde oritura, videlicet maximam mortificationem illius innocentis neomystæ, ejus cognatorum tristitiam, aliorum obmurmurationes, suspensiones, temeraria judicia, adeoque verâ scandala ultra magnas expensas frustra factas, et contemptum ipsius neopresbyteri, tanquam hominis incautissimi in re gravissima; unde in tali casu locum haberet legistarum axioma: « Singula, quæ non possunt, multa collecta juvant. » Sic expresse Gobat., *loc. cit.*, casu 13, a n. 410 ad 415; Sporer., *loc. cit.*, n. 481; La Croix, lib. vi, part. 1, n. 583, et alii per text. in l. *Spadones* 15, § 11, ff. *De excusationibus*, l. *Instrumenta* 5, et l. *Rationes* 6, cod. *De probationib.* cap. *Cum causam* 13, *De probation.*, ex quibus deductum est. d. axioma teste Barbosa axiom. 209, n. 1.

(27. Item si parochus v. g. invitaret alium vicinum parochum, ut in festo majoris solemnitate suæ parochiæ, missam pro eo caneret, hicque invitationis oblitus, domi celebraret, aut jentaret, sicque non amplius jejunos accederet ad parochum invitantem, qui sub spe habendi ad canendam solemnem missam jejunos parochum invitatum, et ipse jam celebravit, aut jentavit, posset parochus invitatus, ad evitandum grave scandalum, licite quamvis non jejunos missam celebrare; si enim non celebraret, nec adesset alius jejunos sacerdos celebraturus, sicque populus absque missa dimitteretur, non posset evitari grave scandalum, id est gravis, et justa indignatio, gravis oblocutio adversus ipsum, ac alios sacerdotes, ridiculi sarcasmi, et diceria lædentia eorum famam, et honorem. Sporer., *loc. cit.*, n. 480; Gobat, tom. I, tract. 4, casu 19, n. 239 et seq., cum aliis ibi citatis.

(28. Item, si in festo Nativitatis Christi non esset, nisi unus sacerdos non amplius jejunos, neque alius haberi posset, qui missam celebraret, nec aliter evitari posset scandalum, licite ageret, si celebraret: Sporer., *loc. cit.*; Gobat, *loc. cit.*, n. 331, cum Tannero et Angles ibi citatis, et alii id colligentes etiam ex S. Thoma, in part. *Summ.*, quæst. 83, artic. 6, ad 2, dicente, quod ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est illud, quod habet minus de periculo, et quod minus est illud, quod pertinet ad qualitatem summentis, quam publicum grave scandalum, adeoque, etc., vide supra n. 10. Et ratio est jam allata, supra n. 24, quia majus, et fortius est præceptum naturale charitatis de evitando scandalo, quam præceptum positivum Ecclesiæ

de celebrando, ac communicando jejune.

(29. Jejunium naturale ad celebrationem, et communionem prærequisitum « est carentia cibi, et potus suscepti in stomachum, vel in via ad stomachum. » Sic Scotus in 4, d. 8, qu. 3, et est in re communis. Unde ille jejunos est jejunio naturali, qui a media nocte nihil sumpsit per modum sibi, aut potus: Sumere autem aliquid per modum cibi aut potus « est aliquid ab extrinseco sumptum per se actione vitali in stomachum dimittere, edendo, vel bibendo: » ut ex communi tradit Tannerus, disp. 5, quæst. 8, n. 78, et Sporer., *loc. cit.*, n. 466. (30. Hinc saliva, et quidquid per modum salivæ sumitur, vel in stomachum dimittitur, non frangit jejunium naturale. Illud autem dicitur sumi, vel trahi per modum salivæ, « quod cum sit minimum quid, et a saliva inseparabile (quamvis in illam non sit conversum), inadvertenter, et præter directam intentionem trajicitur. » Sic Suarez, Vasquez, et alii apud Dianam part. 1, tr. 5, res. 12; Sporer., *loc. cit.*, n. 466; La Croix, l. vi, part. 1, n. 566, cum aliis ibi citatis. (31. Unde, si quis abluendo os aqua, aliquam ejus stillam mixtam salivæ deglutiat, potest adhuc celebrare, seu communicare; quod et tradunt etiam *Rubricæ Missalis tit. De defectibus dispositionis corporis*, ibi: « Si abluendo os, deglutiat stilla aquæ præter intentionem, non impedit communionem. » (32. Secus vero, si quis dedita opera parvam aquam, aut aliquid etiam minimum a saliva distinguibile, per modum cibi, aut potus deglutiat. S. Thomas, in part. *Summ.*, quæst. 80, art. 8; Scotus, *loc. cit.*, et alii communiter. (33. Per cibum autem, et potum intelligitur illud solum, et omne quod a stomacho alterari, saltem, ex parte digeri potest, sicque in substantiam hominis aliquo modo converti. Sanchez, Tambur., Lugo, Diecastil., Gobat et alii citati, et secuti a La Croix, *loc. cit.*, n. 561, et a Sporer., *loc. cit.*, n. 467, contra Nugnum, Layman, Bernal, et alios, qui non requirunt ut sit aliquid digestibile.

(34. Unde, qui deglutiret capillos, ungues abrasos, ossicula fructuum, lignum, aurum, argentum, plumbum, vitrum, fila ex serico, vel lana, et quidquid nec cibi, nec potus rationem habet, non frangit jejunium naturale; Lugo, Diecastil., Ledesma, Sanchez Diana, Tamburin., Aversa citati, et secuti a La Croix, *loc. cit.*, n. 562; Gobat, tom. I, tract. 4, n. 262; Sporer., *loc. cit.*, n. 467; Rosignol., *loc. cit.*, n. 20 et 21; Quarti, *Comment. in Rubric. Missal.*, part. III, tit. 9, dub. 2, difficult. 3, cum aliis ibi citatis contra alios; supradicta enim non habent rationem comestibilis, aut potabilis, nec digeruntur, nec alterantur, sed integra egeruntur; excepto auro, quando resolvitur, et redditur potabile. Tum quia sacri canones solum exigunt, ut nullus cibis, aut potus sumatur ante communionem, ut patet in cap. *Nihil* 16, caus. 7, q. 1, ibi: « Nullus post cibum, potumque quemlibet minimum sumptum, missas... facere

præsumat: » et in cap. *Liquido* 54, *De consecr. dist. 2*, ibi: « Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quam cæteri cibi: » et consimiliter in cap. *Ex parte* 5, *De celebrat. missar.*, in concil. Bracaren. I, canon. 16, et Bracaren. II, can. 10, Carthaginen. III, canon. 29, Constantiensi, sess. XIII, et in aliis; quæ autem ex sua natura non sunt ab homine comestibilia, aut potabilia, ut supradicta, non sunt proprie cibi, aut potus humanus, adeoque non censentur prohibita ante celebrationem, et communionem, nec frangunt jejunium naturale.

(35. An autem terra, seu creta, quam puellæ edunt ut albescant, charta seu papyrus, filum ex lino, fenum, palea, cera, pulveres medicinales, venenum, et hujusmodi frangant jejunium naturale, variant doctores. Aliqui enim volunt, ea jejunium non frangere, quia, dicunt ipsi, non sumuntur per modum cibi, aut potus, cum ex sua natura non sint comestibilia, aut potabilia. Alii autem probabilius tenent, quod ipsa jejunium naturale frangant, quia in terra, et creta continentur partes mixtæ, quæ a stomacho sunt alterabiles, et digeribiles, sicque aliquo modo in substantiam hominis converti possunt: papyrus, seu charta servit pro nutrimento muribus, et filum ex lino fit ex herbis, sicuti etiam ipsa charta, saltem mediate, ex herbis fit, cum fiat ex lino; fenum et palea in substantia sua sunt herbæ nutritivæ; cera retinet aliquid mixtum de melle; pulveres medicinales etiam ex ossibus et lapidibus contritis confecti habent se tanquam cibi medicinales corporum; venenum continet partes, quæ ex natura sua deservire possunt pro cibo humano, ut patet exemplo Mithridatis, adeoque cum supradicta, et alia similia possint a stomacho alterari, et digeri, sicque aliquo modo in substantiam hominis converti, probabilius jejunium naturale frangunt. La Croix, *loc. cit.*, n. 562; Tamburin., *De communion.*, cap. 2, n. 19 et 20; Henno, tom. II *Tract. de eucharistia*, disp. 8, quæst. 2, art. 1, conclus. 2, resolut. 1; Layman, lib. v, tractat. 4, cap. 6, n. 18, cum aliis ibi citatis: Nugnum, Præpositus, Henriquez, Bonacina, Reginaldus, Villalobos, Fagundez, et alii contra alios.

(36. Qui reliquias cibi diei præcedentis dentibus implicitas inadvertenter, et casualiter deglutiant, non frangunt jejunium naturale, S. Thomas, in part. *Summ.*, quæst. 80, art. 8, ad quartum, et alii passim, quia non censentur illæ comedi, sed per modum salivæ deglutiri. Si autem advertantur, et sensibiliter percipiantur in lingua, debent expui, aliter frangerent jejunium: quia si scienter, et dedita opera deglutirentur, non possent habere meram rationem salivæ, cum possent a saliva separari, et expui; quod optime videtur considerasse S. Thomas, l. cit., ubi dicit reliquias illas non frangere jejunium, addita tamen conditione, si casualiter transglutiantur; et sic docet

communior opinio, ut testatur Henno, *loc. cit.*, resolut. 5. Attamen Suarez, Castropal., Gobat, Leander et alii, non dissentientibus Tannero, Diana, Ochagavia apud La Croix, l. c., n. 567; Quarti, l. c. difficult. 1, et alii tenent non frangi jejunium, etiamsi advertenter, et dedita opera ipsæ deglutiantur, quia, dicunt ipsi, censentur adhuc deglutiri per modum salivæ, et non veniunt ab extrinseco, ac censentur pertinere ad comestionem præcedentis diei: et Rubricæ Missalis tit. 9, *De defectibus dispositionis corporis*, simpliciter sic habent: « Si reliquæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. »

(37. Jejunium naturale non frangunt, qui ad probandum, an sit vinum album, vel aqua, ad percipiendum saporem, seu condimentum, jusculum, aquam vel aliquid aliud supra linguam ponunt, et prægustant, ac statim exspuunt, quamvis parum ipsius jusculi, vini, aquæ, vel alterius liquoris salivæ admixtum casu deglutiant. Sic expresse S. Antoninus, in part. *Summ. theolog.*, tit. 3, cap. 7, § 8; Sylvius, in III part. *Summ. S. Thomæ*, quæst. 80, art. 8, et teste Sporer., *loc. cit.*, n. 368, communis aliorum cum S. Thoma, *loc. cit.*, quia cum illud parum sit a saliva inseparabile, censeretur per modum salivæ tractum: secus autem si vel in magna quantitate, vel in parva quidem non casualiter, sed advertenter, et ex proposito; si videlicet illud parum potuissent a saliva distinguere, et separare, Sporer., *loc. cit.*, Gobat, cit. tract. 4, casu 17, n. 266, cum aliis ibi allegatis. Quid autem dicendum sit, si quis gargarizet, et aquam detineat in ore diutius? Jordanus, tom. I, lib. IV, tit. 2, n. 4; Gobat, *loc. cit.*, n. 167; Sporer., *loc. cit.*, n. 468, respondent vix possibile esse, tunc partem aliquam aquæ a faucibus non attrahi, ideoque ut periculosum saltem dissuadendum esse.

(38. Qui aromata dentibus terunt, aut ore continent ad confortandum caput, vel vitandum noxium aerem, aut odorem, dummodo nihil ex intentione deglutiant, non violant jejunium naturale, quamvis aliquid succi inseparabiliter salivæ permixtum deglutiant, quia illa trajectio est per modum salivæ, et non est vera comestio, seu potatio; imo ob eandem rationem etiamsi parvum granulum aromatis casu, et sine intentione comedendi in stomachum descenderet. Sic Coninc, Mercerus, Bonacina, Tannerus, Loricus, et alii, quos citant et sequuntur Diana, part. v, tract. 13, resolut. 1, § *Verum*; Quarti, *loc. cit.*, dub. 2, vers. *Colligitur tertio*, et alii.

(39. Nec jejunium naturale frangunt, qui respirando attrahunt vapores ex cibo, et potu præsentem; nec qui per modum respirationis attrahunt per os in stomachum vel pulverem, vel pluviam, vel muscam, vel quid simile, quia ista deglutiantur per modum respirationis, et non per modum comestionis, aut potationis, ut requiritur ad

fractionem jejunii. Sic quidem docet. eitati, et alii passim. (40. Secus autem esset dicendum, si quis alicui oscitanti, nec advertenti injiceret in os uvam, aut parvam nucem, ipsamque deglutiret, aut ei dormienti in os apertum, aut guttur globulum sacchari, aut aliquid cibi, vel potus immitteret, et ipse casu, vel violenter deglutiret, aut in flumen prolapsus invitus aquam in stomachum trajiceret: quia vitaliter sumitur per potationem, vel cibationem, cum sic etiam infantes, et infirmi, ac bruta cibentur, licet invitis ingeratur cibus. Gobat, cit. tract. 4, casu 17, n. 64; Sporer, loc. cit., n. 470; La Croix, loc. cit., n. 168, et alii apud ipsos.

(41. Neque jejunium naturale frangunt, qui deglutiant sanguinem e gingiva, vel humorem ex capite, seu pustula in ore rupta, defluentem: quia ista non sumuntur ab extrinseco, nec per modum cibi, aut potus, sed per modum salivæ. Sporer, loc. cit., n. 480; La Croix, loc. cit., n. 465, cum aliis ibi allegatis. Quarti, loc. cit., dub. 2, in fine, ubi citans S. Thomam, Suarez, cardinal. de Lugo, et alios addit insuper, quod licet sanguis in os defluens ex industria deglutiretur, etiam animo se nutriendi, non violaretur jejunium, quia intentio illa non potest dare rationem cibi, prædicto ex capite, et sanguine ab intrinseco defluentem, cum de ratione cibi sit, ut ore sumatur ab extrinseco, juxta regulam traditam a S. Thoma. in 4, dist. 8, quæst. 1, art. 4, quæstiuncula 2 ad 3, et ab aliis communiter receptam.

(42. Secus autem dicendum esset, si quis sugeret sanguinem ex vulnere manus, aut digiti, vel extractum ex propria vena, quia tunc vere haberetur cibus ore sumptus ab extrinseco. Quarti, loc. cit.; La Croix loc. cit., cum Lugo, et Tamburin., ibi allegatis, Henno, loc. cit., resolut. 2, et alii. Et idem dicendum est de muliere lac surgente de propriis mamillis. Henno, loc. cit., resolut. 2; La Croix, loc. cit., ubi addit frangi etiam jejunium, si id, quod ex oculis, vel naribus defluit, in os admittatur et deglutiat, quia aliquid digestibile sumitur ab extrinseco instar cibi, aut potus præsertim, si id potuit a saliva distingui, separari, et expui. (43. Non frangit tamen jejunium, qui aquam, vel quidpiam aliud per nares sumit, licet aliquid dilabatur in stomachum, quia non sumit ore per modum cibi, vel potus, nec est comestio, vel potatio, cum hæc fiant ore, non naribus. Quarti, loc. cit., ver. Colligitur quinto, allegans Suarez, Cœlestinum, Faustum, et alios, quos affert, et sequitur Diana, part. II, tract. 13, resolut. 1; Henn., loc. cit., resolut. 6, et alii.

(44. Qui vesperi decumbens imponit ori saccharum, vel aliquid contra raucedinem paulatim liquandum, et deglutendum, si post mediam noctem, etiam dormiens ali-

(80) Nota Romani theologi. — Qui ita dubius est, tenetur non celebrare, ne se exponat periculo trans-

quam partem deglutiret, frangeret jejunium naturale, nec posset celebrare, aut communicare, quia moraliter tandiu censetur durare comestio, quandiu saccharum est in ore, cum fuerit sumptum, ut paulatim deglutiretur. Quarti, loc. cit., difficult. 1, testans de communi: Henno, loc. cit., resolut. 5; Sporer, loc. cit., n. 459, et alii passim. (45. Si vero dubius sit, an aliquid deglutiverit, vel an factum sit post mediam noctem, si adhibita diligentia adhuc perseveret dubius, probabile est quod possit celebrare, aut communicare; et ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis c. Si causa 7, De præscriptionibus; c. Quod autem 5, De jurepatr., c. in part. vi De regul. juris in 6, l. Nemo 126, § 2, ff. De reg. jur., 1, In pari causa 123, ff. eod. Quilibet autem fidelis possidet jus communicandi, quandiu non constat de impedimento aliquo, adeoque hic, facta diligentia, non constat de impedimento fracti jejunii, poterit celebrare, aut communicare. Sic Layman, lib. 1, tract. 1, cap. 1, n. 36, et multi alii, quos affert, et sequitur Diana, part. vi, tract. 11, resolut. 18, ubi citat Dicastillum, Bossium, Leandrum, Caramuelem, Drulench, Pasqualigum: et alios citat part. x, tract. 13, resolut. 14, § Nota, et prius etiam docuerat part. III, tract. 5, resolut. 29, ut refert Quarti, loc. cit., dub. 5, vers. Secunda sententia: qui in fine dicti dubii dicit contrariam opinionem esse etiam vere probabilem, uti revera, est, et talem censent graves doct. ab ipso in dicto quinto dubio allegati, quia in tali dubio, seu incertitudine tutior pars eligenda videtur propter reverentiam sacramenti. Tum quia possessio stat pro præcepto de non celebrando, seu communicando, nisi jejunio (80).

(46. An sumptio tabaci frangat jejunium naturale, et impediatur celebrationem seu communionem? Vide verb. TABACUM, n. 6 et 7.

(47. Missa in Pontificio sacello nocte Nativitatis Domini celebratur a cardinali pleburumque non jejuno a præcedenti media nocte. Benedict. XIV, constit. incip. Quædam, § 9 et 10. Et id fit ex tacita, non autem expressa dispensatione Pontificis. Idem ibidem.

(48. Missam ut etiam non jejuni celebrare possent sacerdotes per Indias regi Lusitanæ subjectas, ex certis causis induisit Pius IV ut refert Bened. XIV, cit. constit. Quædam § 9. Vide dicta verb. EUCHARISTIA.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(49. De sacerdote, qui non jejunus celebrat, quæri solet, an sit is suspectus de fide, ita ut possit contra eum procedere tribunal S. Inquisitionis? Affirmant Alph. de Leon, De offic. et potest. confessarii, recoll. 22, versic. trigesimo sexto; Transmiera, De polygam., lib. III, quæst. 2, n. 55; Albergin, in Manual., cap. 23, n. 3, qui ultimus hanc

grediendi Ecclesiæ præceptum. Vide quæ de probabilismo disputata sunt, art. CONSCIENTIA.

reddat rationem, quod scilicet talis sacerdos facto adherere videtur hæresi Lutheri, qui asseruit consultius esse sumere eucharistiam post sumptum cibum.

(50. At re discussa in tribunali supremæ Inquisitionis, existimatum fuit, minime sacerdotem hunc esse suspectum de hæresi, adeoque puniri haud posse ab ipso tribunali supremæ Inquisitionis; ut patet ex decreto lato die 10 Septembris 1613, quod allegat Albit., De inconstant. in fide, cap. 33, n. 55. (51. Probe vero monet mox laudatus auctor, n. 66, decretum hoc haud habere locum, si sacerdos esset ex illis regionibus, in quibus viget hæresis Lutherana; nam hic vocari posset ad S. Officium, et interrogari super ejus credulitate et intentione.

(52. Minusque S. Officio subicitur sacerdos, qui in prima, vel secunda missa diei Nativitatis Domini nostri Jesu Christi sumat purificationem; deinde celebret secundam, vel tertiam missam; ut liquet ex allato decreto lato die 29 Martii 1628, allato ab eodem auctore ubi supra, n. 67.

(53. Agere hic non esset incongruum de casibus, in quibus sacerdos non jejunus celebrare valet. Sed vide, qui de iis egregie præ cæteris tractat, cardinalis de Lugo, De sacram., disp. 15, sect. 2, 3 et 4.

ARTICULUS XII.

Missæ quoad ritum observandos in ipsa celebranda.

SUMMARIUM.

1. Missa quoad fieri potest, est semper legenda de die, seu concordans cum officio, prout a rubricis Missalis præscribitur, nisi pro aliquo casu et obligatione debeatur legi votiva et de Requiem. — 2. Hinc missa propriæ concessa certis regularibus, et certis locis, non possunt ab aliis dici alibi et ne quidem in ecclesiis eorumdem regularium. — 3. Unde sacerdotes celebrantes in ecclesiis regularium diebus propriorum sanctorum habentium missam propriam, debent quidem missam celebrare de illo sancto, vel beato, sed cum missali Romano et de communi. — 4. Et capellani monialium etiam non utentium Brevariario Romano possunt quotidie celebrare missam correspondentem officio a monialibus recitato, sed cum Missali Romano et de communi. — 5. Si vero moniales non habeant Missale a Romano diversum, sacerdotes in earum ecclesiis celebraturi, possunt dicere proprias missas ipsis monialibus concessas. — 6. Sacerdotes omnes celebrantes in ecclesiis regularium, in quibus fit de festo duplici, non debent dicere missam de Requiem. — 7. Missa potest celebrari de quolibet canonizato, licet nondum relato in Martyrologio. — 8. De beatis autem potest celebrari solum in illis locis et ecclesia regularium et ab illis, quibus facta est specialis concessio. — 9. Missa potest etiam celebrari de dedicatione ecclesiarum. — 10. Imo de ipsa dedicatione, seu consecratione propriæ ecclesiæ tenentur omnes missam celebrare et respectivum officium recitare sub ritu duplici primæ classis omnes clerici illius ecclesiæ, sive sint sæculares, sive regulares cum octava. — 11. Sicut etiam sub eodem ritu cum octava tenentur de titulari propriæ ecclesiæ, et conventus. — 12. Et regulares tenentur sub eodem ritu primæ classis, sed sine octava ad missas, et officia patroni principalis loci, vel diocesis, ac protectoris civitatis, et regni, nec non titularis ecclesiæ cathedralis. — 13. Et ad missam, et officium dedicatio-

nis ecclesiæ cathedralis sub ritu duplici secundæ classis sine octava. — 14. Potest etiam missa celebrari sub ritu duplici in ea ecclesia, in qua habetur insignis reliquia. — 15. Missa non est celebranda per totam civitatem, vel diocesim, nec recitandum officium de sancto, eo quod in loco adsit ecclesia parochialis, vel regularis, vel etiam abbatialis, aut aliqua insignis reliquia, sed tantum in propria ecclesia, nisi habeatur specialis licentia. — 16. Nec festum, quod in aliqua ecclesia celebratur ratione corporis, vel insignis reliquiæ habet octavam, nisi specialiter concedatur. — 17. Et qui recitat officium de sancto, de quo habet insignem reliquam in propria ecclesia, si celebret eo die in alia ecclesia, debet omittere Credo. — 18. Missa S. Rochi in die ejus festi potest solum celebrari in ecclesiis in eisdem honorem Deo dedicatis, nisi aliud specialiter concedatur. — 19. Episcopi regulares debent missam celebrare, et officium recitare juxta ritum suæ diocesis, non vero regulæ; et occurrente festo regulæ in festo diocesis hoc erit præferendum. — 20. Episcopi regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegio suæ religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de beatis suæ religionis recitare officium, et in propriis cathedralibus missam celebrare, et altare prædictis beatis erigere. — 21. In missis de beatis non est dicendum symbolum, ubi est permessa hujusmodi celebratio, nisi adsit reliquia, et nisi sit de iis concessum officium, sub ritu saltem secundæ classis. — 22. Nemo potest excedere limites verbales indultorum Sedis Apostolicæ super beatificationibus, præsertim in celebratione missarum et officii cum octavis sine expressa licentia prædictæ Sedis Apostolicæ. — 23. Sacerdos, qui celebrat missam conventualem, in qua chorus tenetur canere symbolum, non potest illam prosequi eo tempore, quo a choro cantatur Symbolum prædictum: Neque dum canitur Credo debent pulsari organa. — 24. Sacerdoti missam novam celebranti licet oblationes accipere, dummodo non discedat ab altari. — 25. Vicario episcopi missam cantanti solemnem non ministrant canonici, neque sit circulus ante ipsum. — 26. Missas conventuales et pontificales non potest celebrare vicarius absente episcopo. — 27. Ad missam vicarii generalis non debent accendi quatuor candelæ, nec assistere duo capellani. Nec etiam quatuor candelas in missis privatis adhibere possunt prælati, et superiores quicumque sive sæculares, sive regulares episcopo inferiores. — 28. Vicarius, ut vicarius, non potest, absente episcopo, missas cantare solemnes, sanctissimum sacramentum, aut sacras reliquias paratus deferre, nec aliis se immiscere functionibus ecclesiasticis, sed tantum præesse, ut omnia suo ordine fiant. — 29. Assistens presbyter debet episcopum thurificare ad sedem, quicumque ille sit, non vero diaconus Evangelii. — 30. Absente episcopo thurificandus est celebrans triplici ductu. — 31. Finito Evangelio missæ solemnis, cui assistit episcopus cum cappa, thurificandus est celebrans, non vero episcopus. — 32. Septimum candelabrum debet adhiberi in missis tantum episcopi solemnitibus, sed non defunctorum. — 33. Archidiaconus sustinens baculum episcopi thurificandus est post diaconos assistentes, ubi non adsit contraria consuetudo. — 34. Canonici in Dominicis singillatim aspergendi sunt aqua benedicta, non vere unico ictu in circulum. — 35. Celebrans, qui distribuit cineres, candelas, et ramos, detecto capite debet distribuere. — 36. Absente episcopo, benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, et fontis, debent fieri ab eo, qui cantaturus est missam. — 37. Ille idem, qui benedicit cineres prima die Quadragesimæ, vel candelas in festo Purificationis, aut ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare missam sequentem. — 38. Non est facienda altaris thurificatio in missa conventuali dierum so-